



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodvs Expeditæ Confessionis Tum pro Confessarijs, tum pro Pœnitentibus

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1657

De dolore unius peccati venialis, & non alterius, parag. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41773

quæ censuræ solum intelligi debent de Confessione mortaliū. Quis igitur velit eam sententiam, cui tanti viri tam acrem notam inurunt prudenter sequi?

4 Denique quod non sit mortale, sed veniale confiteri venialia sine dolore nec formali, nec virtuali; quia solum esset frustrare Sacramentum in re levi, quæ fuit opinio cujusdam Theologi recentioris & videtur omnino falsum: quia non videtur p̄ leve irritam cadere absolutionem.

o Apud De Lugo de pœn. d. 14. sect. 8 p̄ Ibidem.

§. II.

De dolore unius peccati venialis, & non alterius.

Satis est ad Confessionem venialium si confitearis unum v. g. vel alterum peccatum veniale, deque eo habeas B debi-

verfa
Vega,
e Gan-
dolo-
sed in-
m Sa-
e qua
confi-
a opi-
orum
rædi-
ficiari
e mor-
pinio,
e simi-
m in-
oiendi
s effe-
centia
ocent
nten-
em in
lorem
erro-
riam:
quæ

debitam displicentiam, taceas autem alia venialia, de quibus nec dolorem habes, nec propositum ea declinandi *a*.

a Laym. 1
15. tr. 5. de
pœn. c. 4.
n 19. Sua-
rez de pœ-
nit. d. 20.
sec. 1. Ba-
gund. l. 2.
de 2. Eec.
præc. c. 1.
n 13.
b Idem ib.

6 Idem dic si hæc venialia, de quibus nec doles, nec proponis, non taceas, sed dicas in eadem Confessione in qua illud unum, vel alterum cum vero dolore confiteris *b*. Ratio utriusque est, quia malitia peccati venialis cum non consistat in aversione à Deo, est divisibilis: unde unum veniale remitti sine alio potest: & consequenter dispositio ad unius deletionem, potest esse sine dispositione ad deletionem alterius.

7 Propter eandem rationem cum quis multa peccata venialia fateatur, de quibus nihil, ne virtualiter quidem, dolere supponeremus: subdit tamen simul peccatum aliquod mortale, sive aliàs absolutum, sive nunc primo Confessori manifestatum, de

de quo rite dolet; valida, & licita est Saaramentalis susceptio: quia absolutio cadit in mortalis remissionem, quæ est divisibilis à remissione venialium. Non sic si multa fatearis mortalia, de quorum aliquibus doleas, & de uno, verbi gratia, nequaquam: nam tunc Confessio nec licita est, nec valida: quia, ut dicebam, non potest unum mortale, quod est absolutè averfio à Deo, remitti sine remissione omnium aliorum, quæ sunt similiter averfio.

c. Idem id.

8 Eodem pacto si forte quis fateretur venialia, & mortalia, doleret autem de venialibus, & non de mortalibus; invalidè, & illicitè se gereret: quia veniale non dimittitur ei, qui est propter mortale Dei inimicus, & ab eodem averfus.

9 Quod dictum est n. 5. & 6. intellige etiam si sermo sit de venialibus ejusdem speciei: verbi

B 2

gratia

*d De Lug.
de pœn. d.
14. sec. 7.
§ 3.*

gratia potest quis habere sufficientem pro Confessione dolorem de uno mendacio, absque dolore de aliis mendaciis, & absque proposito vitandi omne mendacium *d.* Ratio est quia potest inveniri aliqua inæqualitas in ipsis individualibus peccatis venialibus, ratione cujus moveatur quis ad dolorem potius unius, quam alterius: verbi gratia, potius dolebit quis de mendacio deliberato per perfectam advertentiam, vel prolato sine causa, seu sine ulla utilitate, vel cum damno majori proximi intra latitudinem venialis, &c. quàm de mendacio his circumstantiis nequaquam affecto. Sicut etiam verbi gratia, detestabitur quis furtum leve unius Lulli, non vero furtum aliud levius unius oboli, &c. Hoc igitur poterit quis offerre pro materia delenda à Sacramento Confessionis.

De